

homines, ipse autem oriens Deus et homo, recte dicitur : Erat magnus inter omnes Orientales. Ac si aperte diceretur : Omnes qui in fide Deo nascuntur superat, quia non ut ceteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat. » Et rursus alibi idem ipse : « Quia omnis homo tantummodo homo est, ipse autem Deus et homo. In terra ei similis non est, quia etsi adoptivus quisque filius ad percipieundum divinitatem proficit, nequaquam tamen ut Deus naturaliter esset, accepit. »

Item in libro beati Job : « Mediatori vero nostro in legislatoribus similis nullus est, quia isti gratuitu vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt. Redemptor autem noster sine peccato est, Filius sine adoptione, nec perpetravit unquam quod redarguit. Quas quidem sententias prius non recte intelligebamus. »

Item beati Athanasii Alexandrini episcopi : « Si quis vero adversus divinas Scripturas docet, alium dicens Filium Dei, et alium qui ex Maria virgine, hominem secundum gratiam adoptatum, sicut nos : quasi essent duo filii, unus secundum naturam qui ex Deo, et unum secundum gratiam qui ex Maria. Et si quis Domini nostri carnem desursum dicit, et non ex virgine Maria, aut mutatam deitatem in

carnem, et confusam, aut passibilem Domini deitatem, aut inadorandam Domini nostri carnem sicut hominis, et non a jorandam Domini et Dei carnem : hunc anathematizat sancta catholica et apostolica Ecclesia. »

Item sancti Gregorii Nazianzeni episcopi ad Cledonium : « Si quis introducit duos filios, unum quidem qui ex Deo Patre; secundum vero, qui ex matre, et non unum eumdemque, et adoptione excedat gratia quae promissa est iis qui credunt : alienum eum a nostro consortio judicamus. Naturæ vero duas Deus et homo : nam et anima, et corpus : Filii vero duo, neque d[omi]ni [Leg.,... neque duo, neque duo d[omi]ni. H.], neque duo homines. »

Item beatus Leo papa urbis Romæ ita dicit : « Exsultet rectarum mentium fides, et verum unumque Dei Filium non solum secundum deitatem, qua a Patre est genitus, sed etiam secundum humanitatem, qua de matre virgine est natus, intelligent. »

Item ipse alibi : « Assumpta est de matre, Domini natura, non culpa; creatæ est forma servi sine conditione servili, quia novus temperatus est veteri, ut et veritatem susciperet generis, et vitium excluderet vetustatis. »

VITA SANCTI BEATI

ABBATIS HISPANICI,

AUCTORE ANONYMO RECENTIORI.

[Ex Act. ord. S. Benedicti, tom. V.]

MABILLONII OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Inter sanctos seculi tertii Benedictini prætermisso retuli hunc Beatum; ob eam videlicet causam quod in vulgatis ejus actis nulla de ipsius monachatu mentio habeatur. Postea vero incidi in quædam argumenta quæ monasticam ejus vitam probant, atque adeo virum doctrina ac sanctitate insignem Benedictinæ familiæ ascribi posse existimo.

2. Beati Vitam in litteras retulit anonymus quidam scriptor Hispanus, qui recentioris videtur aetatis. Hanc scriptiōnem ex Legendario Asturicensi ms. primus vulgavit Joannes Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico, et post eum Joannes Bollandus in Februarii tomo III, cum prævio commentario Godefridi Heuschenii. Sanctum Beatum colunt Hispani, præcipue Asturicenses, eumque vulgo sanctum *Bieco* appellant. De eo præclare agit Joannes Mariana in lib. vii de rebus Hispánicis, cap. 8.

3. Miratur Tamaius Salazar quo titulo Menardus et Yepez (Wionem addit Henschenius) Beatum presbyterum monachum dicant : « cum concors apud scriptores, inquit Tamaius, sententia sit illum solam presbyteri commendationem tenuisse. » Sed Tamaii admiratio procedit ex ignoratione moris antiqui cum monachi quique, qui sacris iniciati erant, suscepti ordinis vocabulis passim insignirentur, abiecta plerumque, rarius adjecta monachi appellatione. Sic Hieronymus, sic Beda presbyteri; sic Paschasius Albertus levita, aliisque eundem in modum nuncu-

pantur. Verum, ne gratis de Beato id dixisse videar, proferenda sunt argumenta, quibus sine dubio acquiescat Tamaius, et qui cum eo sentiunt. Primum desumo ex Alcuini libro i adversus Felicem, ubi Beatus *abbatis* titulo donatur. Neque enim apud Visigothos seu Hispanos alii erant abbates præter monachos et regulares. Alcuni hæc verba sunt. « Quod vero quemdam Beatum abbatem, et discipulum ejus Heterium episcopum dicitis huic vestrae sectæ primum contrarie, laudamus eos, etc. » At ne fortasse etiam apud Hispanos obtinuisse abbates seculares reponat aliquis, alterum argumentum affero ex ejusdem Beati lib. ii contra Elipandum. « Vere bonum, inquit, et vere jucundum habitare fratres in unum. Unum fratrem dimisimus in seculo, ecce quantos invenimus in Monasterio. Frater meus secularis non tantum me amabat, quantum substantiam meam; cæterum fratres spirituales, qui sua utique negligunt, aliena non querunt. » Haec nullatenus seculari homini convenire possunt, sed necessario aptanda monacho, qui cum *unum fratrem* dimisisset in *seculo*, longe plures *spirituales fratres* iuuenit in *Monasterio*. Isti sunt *spirituales fratres* in quorum gratiam idem Beatus commentarium in Apocalypsim compositum haecne ineditum, in cuius prefatione Ambrosius Morales sequentia verba legit. « Hec ego, sancte Pater Heteri, te petente, ob ædificationem studii fratrum tibi dedicavi : ut quem conseruem

perfruor ordinis, cohæredem etiam faciam mei labo-
ris. » Hæc, inquam, monachi verba sunt ad Heteri-
um tum episcopum Uxamensem, quem olim Beatus
discipulum et *consortem ordinis* in monasterio ha-
buerat. Ista argumenta si legisset Tamaius, mirari
haud dubie desüsset quod autores nostri Beatum di-
xerint monachum; nec gravate tulisset eum Benedi-
ctini sodalibus ascribi.

4. Opponit Henschenius, etsi constaret de Beati
monachatu, non tamen ideo ordini Benedictino ascribi
coatinuo posse: « cum plura eo tempore fuerint in
Hispaniis monasteria quæ regulam non erant Bene-
dictinam amplexa; » idque ex eo probat quod Menar-
dus noster in præfatione ad Concordiam Regularum,
compositam a Benedicto Anianæ abbate, refert regu-
lam sancti Isidori episcopi Hispalensis, aliam sancti
Fructuosi episcopi Bracarensis, aliam alterius item
Fructuosi. Scimus quidem tres Regulas pro mona-
chis sœculo septimo apud Hispanos conditas fuisse,
unam a sancto Isidoro, alias duas a Fructuoso primum
monacho et abbatte, dein episcopo Bracarensi. Non
enim Menardo nostro assentior, Fructuosos duos dis-
tinguenti. Argumenta hoc retuli in sœculo II ad
ipsius Fructuosi Vitam: « qua argumenta probavit
Henschenius in Aprilis tomo II. Deinde has Regulas
in nonnullis Hispaniæ cœnobii sœculo septimo fuisse
observatas nemo jure inficiari potest. Siquidem tam
Isidorus quam Fructuosis ea pollebant apud Hispanos
auctoritate, ut eorum Regulas facile admiserint
monachi in ea regione aliquanti. At majoris erat
ponderis apud eos Gregorii Magni auctoritas, qui in
Dialogorum libro II Benedictum adeo magnifice præ-
dicaverat, ejusque Regulam insigni elogio commen-
daverat. Quanto in Gregorium studio affecti essent
eo tempore Hispani, illud luculent declarat quod
Chindasius Vesiogothorum rex Taionem Cæsar-
augustanum episcopum Romam direxit ad recupe-
randam priorem Gregorii Moralium partem, quæ in
ea regione desiderabatur. Porro ibidem ea tem-
pore notissimi erant Dialogorum libri, quos laudant
Isidorus et Paulus Emeritensis diaconus in præfatione
ad Vitam Emeritensium Patrum. Et publicata etiam
tum erat sancti Benedicti Regula apud Hispanos, ut
constat ex iis quæ attuli in Observationibus præviis
ad Vitam sancti Fructuosi. Si ergo tantæ erat ab eo
tempore apud Hispanos Gregorii Magni auctoritas,
si notissima Regula tantopere ab ipso commendata;
hanc sine dubio accepere Hispanienses monachi una
cum Regulis Isidori et Fructuosi, ut in Gallia præsti-
tum constat, ubi sœculo VII diversas in unis eisdemque
cœnobio Regulas cum Benedictina simul receptas
fuisse constat. Accedit quod labente sœculo inse-
quente Benedictus Anianæ abbas, Benedictinæ disci-
plinæ instaurator illustris, cum Hispaniam adiit con-
tra Felicianam heresem pugnaturus, idem institutum
in illis partibus promovere potuerit. Sane quæcumque
nobis ex calamitosis illis temporibus supersunt
primaria cœnobiorum instrumenta (nam pleraque
intercepit Maurorum procella) Regulam sancti Bene-
dicti monachis impositam fuisse contestantur. Pri-
mum invenio Fromistæ abbatis, qui una cum sobrino
suo Maximo presbytero æra 819, quæ anno Christi
781 respondet, monasterium sancti Vincentii de
Oveto condidit « in honorem sancti Vincentii martyris
atque levite, et accepit Regulum sancti Benedicti. »
(Yezep, tomo III Script., 18). Alterum æra 818 quod
est Adelgastri Silonis regis filii, pro cœnobia Obo-
nensi, « ad honorem Dei et beatæ matris ejus, et
sancti Michaelis archangeli, et sancti Joannis evan-
gelistæ, et sancti Antonini martyris, et sancti Bene-
dicti abbatis, cuius ordinem, inquit Adelgaster, in
ipso monasterio constituimus. » Et infra: « Damus
siquidem et concedimus hujus serie testamenti Deo
et beatæ Mariæ et omnium sanctorum Dei, in quorum
honore ecclesiam et monasterium fundamus, et in

A manu Felicis abbatis, cui omnia supra taxata tradi-
mus, ita ut semper permaneat in servitio Dei, et
abbas et monachi Regulam beati Benedicti perenni-
ter custodian. » (Idem, ibid., 24.) Accedit quod
omnia monasteria quæ in Catalaniæ Hispaniæ fini-
tima per ea tempora condebandur, eamdem Regu-
lam servabant, ut patet ex veteribus actis relatis in
Appendice Baluziana ad Capitularia regum Fran-
corum, num. 41, 62, 63, 89, 98, 132, 142 et 145. Ille
Beati monachatu.

5. Cuius vero cœnobii monachus fuerit, id conje-
ctatur Antonius Yezep de monasterio sancti Thiburiæ
Lievaniensi, hoc inductus argumento quod in charta
ejus loci, data æra 866, mentio fit « de religioso pres-
bytero domino Heterio, et monachis inibi habitan-
tibus. Verum eo tempore si non decesserat Heterius,
certe jam longe ante episcopus erat Uxamensis (Osme),
et quidem eo tempore quo is cum Beato in Elipan-
dum scripsit, ut patet ex ejus confessione relata
ante medium libri: « Primus ero Heterius, Oxo-
mæ sedis indignus nominatus episcopus, qui ab ar-
chiepiscopo Toletano nuncupor esse hæreticus, pro-
fero fidem meam cunctis audientibus. » Erat proinde
episcopus sub annum 790. Ego quidem existimo ex-
stilisse aliquando Vallis-Cavæ apud Asturias monas-
terium, quod incoluerit rexeritque Beatus. Nam in
Vita sequente eodem secessisse dicitur, idemque lo-
cus hacenus ejus cultu ac reliquiis illustratur.

6. Insignis fuit Beati eruditio et doctrina pro fu-
nesta illa Maurorum tempestate, uti demonstrant
libri duo adversus Eliwandum, editi tum ab ipso, tum
ab Heterio ejus discipulo, tametsi eo in opere Beati
fuerit præcipue partes. Sane utrumque insectatus est
Eliwandus, sed maxime Beatum. Huc spectat Eliwandus
epistola ad Fidelem. « Adolescentiam sane fratris
nostræ Heterii lacte adhuc alitam, et nondum ad ro-
bur perfectæ intelligentiae perductam, vestra fraterni-
tas erudit: quia non cum magistris optimis, sed cum
ignarisi et schismaticis, videlicet Felice et Beato Ant-
tiphrasio, aequales in virtute et pares in errore, ha-
buit collationem. » Felix iste videtur fuisse abbas
ille Obonensis, de quo supra, militans sub Regula
sancti Benedicti: cui proinde Beatum etiam addictum
fuisse, ex ejus cum Felice societate intelligitur. Ga-
briel Vasquez fatetur se non posse non admirari
Beatum et Heterium, quod tam calamitoso tempore,
quo dira Maurorum tyrannie Hispania opprimeba-
tur, controversiam adeo obscuram sui ingenii acumi-
ne et eruditione illustraverint. Præter hos libros
contra Eliwandum duos, qui exstant in tomo VIII Bi-
bliothecæ Patrum, scripsit etiam Beatus commenta-
rium in Apocalypsim, hactenus ineditum. Ut nam
illum quis e tenebris tandem eruat! quem Morales
ait se vidisse in ecclesia Vallecavensi, Hispanis Val-
cabodo, haud procul a Saldana oppido diœcesis Le-
gionensis: qui locus, ut dixi, Beati memoria et cultu
celebratur. Hic operæ pretium est observare acta
sancti Andreæ apostoli, quæ recentiora esse putant
nonnulli, a Beato memor sub finem libri: adversus
Eliwandum, ubi de Christo agens: « Iste est Agnus,
inquit, immaculatus, qui quotidie, ut beatus Andreas
ait, in altare crucis sanctificatur: cuius carnes post-
eaquam omnis populus credentium manducaverit, et
eius sanguinem biberit, Agnus qui sacrificatus est,
integer perseverat et vivus. » Quæ ipsissima verba
leguntur in vulgatis sancti Andreæ actis.

INCIPIT VITA.

1. Tempore Mauregati Asturicarum regis, fuit in
Toledo quidam archiepiscopus, nomine Eliwandus,
qui inter Agarenorum diras procellas Cixiliiano suc-
cesserat decessori, ex eo quod ejus fama doctrinæ
et sanctitudinis per totam spargebatur Hispaniam.

Is erat ex Muzarabibus Gothis oriundus, et nobilitate sanguinis clarus. Ille docuerat ab ejus primis litterarum rudimentis quidam Felix, a Gallus prosapia, episcopus Urgelitanus, post haereticus Nestorianus, qui Christum suisse filium Patris adoptivum, qua parte homo est, contra fas, contra auspicia, contra omnes humanas et divinas litteras et religiones perdocuit. Fedam hanc doctrinam per sacrilega epistolarem monita a magistro suxerat Elipandus, qui praceptoris vestigia temeraria comprehensione consecans, adversus omnes Hispaniae episcopos et presbyteros, ejus sententiam despiciens, primo scriptis, post anathemate usus, est Hispaniam damnabilis propositione foedatus.

2. Cum igitur haec aggrederetur, in Livaniensibus montanis, quae inter utrasque eriguntur Asturicas, ex forti dulcedinem, ex silvis Davidem extraxit Deus, ut fortia quaque confunderet: et velut alterum Isaiam loqui nescientem, calcule ignito labia pertingens, suscitavit in Hispania prophetam qui adversus errantes Ecclesiae proceres stylo ferreo invehementur strenuus. Construxerat Nabuchodonosor statuam, apparentia pulcherrimam, magnitudine proceram, metallis divitem, fama celebrem et apparatu magnificam: quis illius excellentiam collimavit? minuta petra e monte decurrrens. Templo vase Balthasaris inscrita profanavit: quis ejus ambitionem et mortem detexit? duo digiti et brevis stylus. Ergo Deus qui in Elipando Goliath, in ejus errore populum, in ipsis vana gloria Nabuchum, et in illius ambitione Balthasarem conspexerat, ex abjectione plebis, et montanæ spelcis Davidem, et plebe ignota blasphemiam, ex monte Beatum, ex silvis ejus digitum, qui hujus archiepiscopi errores contunderet, surrexit.

a Id asserere non ausus est Joannes Mariana, quod falsum esse constat ex Eginhardi Annalibus ad annum 792: t Orgellis est civitas in Pyrenæi montis iugosa, cuius episcopus, nomine Felix, natione Hispanus, ab Elipando Toleti episcopo per litteras consultus quid de humanitate Salvatoris Dei et Domini nostri Iesu Christi sentire deberet, utrum secundum id quod homo est, proprius an adoptivus Dei filius credendus esset ac dicendus, valde incaute atque incensiderate, et contra antiquam catholica Ecclesiae doctrinam, adoptivum non solum pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum episcopum libris, perverissime pravitatem opinionis sue defendere curavit. Festivi vero sunt Hispani qui, si quos habent nebulones, Franci aut Galli ascribunt; quos autem sanctos insigniores habemus, sibi vindicant, ut multis exemplis patet in Martyrologio Hispanico. Cum Felice ad Hispanos remittendus est Claudio Taurinensis episcopus, quem genere, non Scottum, sed Hispanumuisse demonstravi in tomo I veterum Analectorum.

b Falsus est Binius, qui Elipandum Felicis praepotorem appellavit. Certe Dungalus Felicem *hujus erroris magistrum* vocat.

c Imo et monachus, ut superius probatum est in Observatione, num. 3.

J Fuit hic etiam Beati discipulus, ut Alcuinus tradidit, cuius verba in eadem Observatione relata sunt.

d Ejus epistolæ mentionem facit Beatus initio libri primi: Legimus litteras prudentiæ tuæ, anno præ-

A 3. Iste, qui Beatus fuit et nomine et opere, Hispanus fuit, qui ab illis oriundus aspermissis montanis, originem ab Asturicanis antiquioribus traxit. Erat ordine presbyter in sacris litteris edocens et fidei catholicæ zelo conspicuus. Hic cum Elipandi erroneam professionem audivit, protinus per totam illum regionem et catholicum seminarum dogma, et haereticam evellere zizaniam coepit, quibus obsistens Elipando prosecutibus, paulatim ejus propalari commenta cognovit. Adfuit quoque catholicico operi beatus Heterius, qui post fuit episcopus Uxamensis, et **B** Beati amicitia fretus: uterque adversus Felicem et Elipandum litteris et sermonibus per populos discurrentes, catholicam veritatem virili et sancta charitate docebant. Iorum etenim efficacia plurimi qui Elipandi venenum ebiberant, vinum haereticum eructantes, ad gromium matris Ecclesiae sunt contritionis poenitentia reversi.

C 4. Audierat Elipandus opera sanctorum Heterii et Beati, et adversus istum impense iratus, e epistolam Fideli abbati Asturicensi direxit, qua de sanctis presbyteris conqueritur, ex eo quod ipse astros Toletanus episcopus, ipsi, tanquam ejus dignitatem et ordinem contemnentes, nullam ab ipso de adoptionis doctrina cognitionem ediscere cogitarent. « Quis ergo, prosequitur, unquam audivit quod homo Asturicanus et montivagus Toletanos docere et corrigerem præsumat? Nenne exemplum ab Archario episcopo insumere poterat, qui, audita vestri Beati antipharsi, ad nostram occurrentis sedem, quid tenendum humili punctatione poposcit? Sed, sicut Dei gratia factum est quod per nos episcoporumque Hispaniae concessum, de Magetianis Spalitanis, qui circa festi Paschatis diem aberrantes, confusam ordinis normam spargebant, obtineretur victoria, sic in Domino

seuti, et non nobis, sed Fideli abbati mense Octobri, in æra 835 clam sub sigillo directas: quas ex relatu advenisse audivimus, sed eas usque vi Kal. Decembris minime vidimus. Itaque epistola haec anno 785 ad Fidelem scripta est.

D **E** Ascaricum habet Elipandi vulgata ad Fidelem epistola, relata in lib. I Beati abbatis, in qua haec verba: « Hanc epistolam domini Ascarici episcopi ideo fraternitatibus tua direxi, charissime Fidelis, ut cognoscas, quanta in Christi servis regnet humilitas, quanta in Antichristi discipulis regnet superbia, cum dominus Ascaricus mihi non docentis imperio, sed interrogantis voto ea scribere voluit, sicut illum vera humilitas docuit. Isti vero modo et contraria dicendo, modo et quasi ignorantem me, quid rectum sit nouerunt interrogare. » Ascaricus erat episcopus Bascensis, quem cum Elipando suggillat Adrianus papa I in epistola 97 Codicis Carolini ad episcopos Hispanie.

F De hac itidem victoria gloriatur idem Elipandus in epistola proxime laudata ad Fidelem: « Ut quod ego et ceteri fratres mei in Hispalitanis tanto tempore dijudicavimus, et Deo auxiliante, tam in festis Paschalium quam in ceteris erroribus, Migetianorum haeresim emendavimus; nunc illi (Beatus scilicet et Heterius) e contrario inveniunt unde nos arguant. » Et infra Migetianos istos in finibus Baeticis viguisse ait. Migentium ejus secte auctorem, ejusque discipulum Egilam arguit Adrianus in epistola mox citata. Unde hic in textu legendum *Migetianis*.

heresim estianam de Asturicarum montanis existimare confidimus. Non me latet Heterium prout juvenum, deceptum fuisse a Beato, homine silvestri et vaniloquio : quem, si tibi nostra placent, protinus ad te advoca, quantumque coram Deo, ejusque Ecclesia et nobis erraverit, indica : et si in obstinate propositionis thecnis persistiterit, nostra et totius Ecclesiae correctione contunde :

5. Beato, post aliquantulum, visitationis a Adosindæ gratia perveniente, Fidelis abbas Elipandi epistolam demonstravit eidem; qui prout catholicum virum et fidei defensorem docebat, ascito Heterio opus integrum duobus libris compactum, qui Elipandi errores solidis sacrae Scripturae locis rationibusque validis coasutabat, scripsit. Cujus cum in manus Elipandi et aliorum sequacium pervenisset codex, illum infestissimis sunt dedecorum ulceribus verbo et paginis insecuri, inter quæ Antiphrasii nomine macularunt. At Deus, cui omnium viscerum arcana patescunt, Beati innocentie spiritum a solio majestatis sue contuena, et purum fidei zelum presbyteri ab alto longe cognoscens, ab omnibus illum suorum inimicorum periculis liberavit.

6. Nam Elipandus Toleti proiectus, Astures et Gallicos obivit, iisque in locis multos prava opinione inficit pestifero oris afflatu. Felix Vacceos in Hispania, Septimanios in Gallia, alioquin in Germania inficere satagens, ab omnibus fuit constanti defensione depulsus. Sic enim apud ^b Reginum Bajoariæ civitatem primo in conventu episcoporum damnatus, post coram Adriano pontifice maximo simulato animo resipiscens, denum apud Francofurtum, ubi praesente Carolo Francorum rege concilium fuerat indicatum, cui Roma Theophylactus et Stephanus epi-

^a Adosinda erat Aldefonsi regis filia, nupta Siloni, cuius regnum Mauregatus, Aldefonsi ex concubina itidem filius, invasit anno 783. Adosindam se invisiisse cum Heterio tradit Beatus ipse initio libri contra Elipandum : « Cumque nos ad fratrem Fidem, non litterarum illarum compulso, sed recens religiosæ domine Adosindæ perduceret devotione, audivimus illum libellum (Elipandi) adversum nos et fidem nostram in cuncta Asturia publice divulgatum. Et cum fides nostra esset indissoluta, coepit inter scopulos fluctuare navicula, et duæ factæ erant.

^A copi, ex Hispania beatus et Heterius pro catholicis missi, interfueru legati, error cum auctoribus a congregatione concilii damnatus est, quod et Adrianus pontifex fecit.

7. Hoc siquidem intellecto Elipandus Toletanus a propositione resilire decernens, episcoporum congregationem apud Toletum indixit, qua poenitens confessionis libellum, ubi Filium Dei unigenitum Patrique consubstantiale, non adoptivum, sed naturalem, humili confessione professus, obtulit. A Patribus lacrymarum professione susceptus, reconciliationis beneficium accepit. Hic beatum et Heterium, deposita antiquæ disceptationis malevolentia, benigne suscipiens, illos fidei defensores et catholice veritatis patronos, non absque lacrymis et singulis compellabat.

8. Concilio denique soluto et rebus fidei in Hispania bene compositis, sedatoque Felicianæ pravitatis iugio, sanctus vir Beatus Adosindæ regis Silonis uxori, que propter Mauregati tyrannidem sacram erat vestem induita, contundens pro animæ suæ remedio existit pedagogus : donec apud Vallemcavam secederet, orationibus, jejuniis et sacrae Scripturæ studio insistens, super Apocalypsis mysteria librum miro ordine scriptitavit : denum miraculis celebris, Dominu, cui servierat, spiritum placida dormitione commendavit xi Kal. Martii, anno Domini 798. Ejus corpus ibidem sepultum jacuit per tres annos, donec ad honoratiorem locum translatum, reservato brachio pro ægrotorum ad ejus sarcophagum advenientium juvamine, theca marmorea inclusum, debito honoris manere custoditur : prout illud et sanctorum suorum ossa custodire promisit Deus, qui vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

Postea cum tranquillitate, ne bipertita, sed tantum videretur una; tunc colloquentes ad invicem (Beatus scilicet et Heterius) diximus, etc. » Hinc arrepta occasio mutuo consensu scribendi unum idemque opus in Elipandum. De Adosinda item infra, num. 8.

^b « Ductus, inquit Eginhardus, ad palatum regis, qui tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem (alii Raziponam vocant) residencebat, ubi congregato episcoporum concilio auditus est, et errasse convictus, ad presentiam Adriani pontificis Romam missus, etc. »

HETERII ET SANCTI BEATI AD ELIPANDUM EPISTOLA.

[Ex Galland. Biblioth. vet. Patrum.]

LIBER PRIMUS.

Eminentissimo nobis et Deo amabili Elipando Toletanae sedis archiepiscopo, Heterius et Beatus in Domino salutem.

I. Legimus litteras prudentiae tuæ anno præsenti, et non nobis, sed Fideli abbati mense Octobri in